



**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
Ill[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Epistola VIII. Ill[ustrissi]mo Et Rev[erendissi]mo D. Octavio Parauicino S. R.
E. Cardinali Ivstvs Baronivs Veteracastrensis S. Ill[ustrissi]me &
Reu[erendissi]me Domine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

EPISTOLA VIII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. OCTAVIO
Paraticino S. R. E. Cardi-
nali

IVSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis S.

Ill^{me} & Reu^{me} Domine.

EXPECTATISSIMAS litteras tuas ma-
gna animi voluptate vidi, maiori legi &
relegi: tanto quidem maiori, quanto plu-
ribus mensibus hoc à te beneficij genus de-
sideravi. Cum enim quotquot è sacro illo
augustoque *Purpuratorum Patrum* colle-
gio rebus meis patronos benigne adsciuit
Deus, certatim hæcenus (quod ego pietati
ipforum non meritis meis tribuo) aman-
tissimis me litteris suis salutassent, egoq; il-
las tanquam *Persicam* quandam *gazam* cu-
stodire, atque inter *κειμήλια* mea reponere
solerem, quò vel vnico hoc pignore poste-
ris meis pientissimæ matris erga me teroti-
num carulum demonstrarem Indulgentiã:

*non sic tempestate iactatus portum nauta
prospicit, non sic siccitas imbres arua deside-
rant, non sic curuo assidens littori anxia filium
mater expectat, vt ego tuas hæcenus deside-
ratas anxia quadam mente & suspenso o-*

X 2 culo

a Hieron.
Epist 41. ad
Ruffin.

culo expectavi litteras. Vix enim constare sibi numeri argumentum videbatur, nisi reliquis ordine in pluteo cōstitutis, tu quoque tuum adhuc vacuum in eodem locum expleuisses. Respondisti desiderio, scripsisti, stationē tuam occupasti, largius omnia & liberalius, quā opinio mea ferebat. Quid ego contra? Exulto, triumpho, loculamēta mea repleo, non quod vnus repleri queāt, sed quod primas secundæ tertiæque consequi soleant. Quod vbi feceris *Ill^me Cardinalis*, maximo me beabis gaudio, familiæq; tui in me amoris clariora figes argumenta.

De nostris rebus Germanicis, quatum te studiosissimum perspexi, pauca sunt qua scribam. *Ratisbonæ* Imperialia nunc Comitia agitantur. Vtinam omine eo ac successu, quem res Christianæ flagitant. De *Argentinenſi* Episcopo: uē contrarijs inter se armis certant, *Lotharingia Dux* & *Brandenburgicus Elector Iunior*, cuius plerique *Protestantium* Principum partes adiutas cupiunt. Sunt qui eodem N. N. inclinare putent, sed ego plaris apud tam bellicosum Principem Dei atque Ecclesiæ causam futuram spero, quam ut contraria illi arma ferre audeat. De *Belgio* forte certiora apud vos, quam hic. *Ostenta* illa nimis diu robur suum & pertinaciam ostentat. Sed ille qui *b* *confringit capita leonum*, & *ferreas portas deicit*, nō dubito quin tandem

b Psal 57. 7

c II 45 2.

Act. 12. 10.

randem ostentatrici illi suas quoque vires
ostensurus sit. De cæteris taceo, teque cum
sancta vrbe, sanctissima curia Dei Opt.
Max. præsidio æternum commendo. Vale.
Mogunt. 3. Idus April. M. DCIII.

EPISTOLA IX.

ILLVSTRI ET REVERENDO
D. Ioann. Pistorio, Doctori Theologo
Clariss^o, Præposito Vratisla-
uiensi, &c,

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.

GRATVLERNE tibi prius, iam dudum ex
faucibus orci liberato, inq; Regia Dei
loco excelso & splendido inter lucidissimas
Ecclesiæ faculas cõstituto, *Illustris & R^{de}*
Dnc: an mihi gaudeam, vix demum recens
è *Calvinianis* voraginibus erepto, & nunc
ad contemplandam Catholicæ fidei purita-
tem oculos, ad propugnandã man^o vtcunq;
instruenti, equidem ambigo. Isthic benefi-
cium Dei commendat temporis maturitas,
illustrat nominis claritas, auget copiosissi-
ma ad omnes redundans vtilitas. Hic tem-
poris tarditas maturitate ætatis compen-
satur, obscuritas nominis patronorum fulgo-
re collustratur, commodorum vtilitas ex-
pectatione fulcitur. Quidni igitur gratuler